

est. Ab initio usque ad *Septuagesimam* defunt in Cod. nostro *Lectioes Dom. I. post Natalem Domini, Natalis S. Martinae, et duae post Theophaniam, tertia nobis inscribitur Feria IIII. post Theoph. Sec. iob. k. XIII. Vidit iohannes ihesum venientem ad se &c. A Septuagesima ad Pascha deficit in nostro Lectio Sabb. Quinquagesimae, et Sabb. Hebd. V. unicum est Evangelium Job. c. 153. Sublevatis ihesus oculis &c. A Paschate usque ad M. Augustum, Sabb. post Pentec. secunda nobis deest Lectio, item Lectio Hebd. II. post Pentec. sed M. Junio die XIII. deest in editis natalis sancte feliculae. Post Octabas pentec. per errorem in nostro Cod. bis habetur Feria IV. VI. et Sabb. sed deest Hebd. IV. et V. Lectio. Hebd. VI. nobis inscribitur II. Die XXVIII. Jun. deest Translatio Corporis b. Leonis Pont. et Hebd. V. tantum unum habet Evangelium: *Quidam legisperitus surrexit tentans Iesum &c. Ab Augusto usque ad finem. M. Novembri duplex nobis est Lectio in natali sancte felicitatis; sed deest Lectio in die belli, et tertia in natali pape, pro qua duplex est in ordinatione presbiterorum. Deficit vero Codex in ordinatione diaconorum, qui non tantum propter haec adlata, verum etiam propter alias, sive in Hebdomadum numeratione, sive in Stationum adsignatione, sive in dierum ordinatione et inscriptionum ratione ab editis differentias antiquae Li-**

turgiae studiosis commendari meretur.

LII. *in der Gem.*

Codex membranaceus lat. Sec. 982 XIV. Folior. 191. fol. maj. totus auro magnifice exaratus, literis initialibus Caputum grandibus historiatis, Versuum vero, uti et Caputum titulis, et interpunctionibus vario colore expressis, paginis praeterea omnibus limbo caeruleo ad angulos florido circumdatis, ut recte praeclarissimum non artis tantum, sed et patientiae humanae monumentum dici queat, *Evangeliarium* est *Versionis vulgatae. Fol. 1. p. 2. Pictura grandis. Acta S. Matthaei in 12. divisa loculos eleganter exhibet, adnexis ad 4. angulos Insignibus Styriae, Austriae, Tyroleos et Carinthiae, unde colligo Codicem aut jussu Alberti III. Ducis Austriae dicti cum Trica scriptum, aut ei dono destinatum fuisse. Fol. 2. p. 1. ita init Evangelium, ut sola litera L totam faciat paginam. Referta ea est Angelis variis instrumentis concentum musicum edentibus, spatium vacuo, quod inter illam et limbum est, quintuplici ferie Caputum utriusque Sexus occupato, quae an Progenitorum Christi, an Familiae Ducum Austriae dicam, nescio. In limbo prosequitur textus: *Iber generationis ihesu christi filij dauid filij abraham. Per decursum nihil occurrit notabile, nisi quod quaedam Capita paullo citius finiantur, aut ulterius procurant,**

rant, quam in Editis hodiernis. Fol. 55. p. 2. orditur S. *Marcus* eadem ratione ab Actis suis splendide depictis ea solum differentia, quod Insigne *Austriae* locum prae *Styriaco* tenet. Fol. seq. folam I literam admireris, primam videlicet textus et vocis *Initium*. Solum in hoc *Evangelio* Caput IX. aliter ac in Editis ab VIII. dividitur. Fol. 91. p. 2. visuntur in totidem loculis Acta S. *Lucae*, Insigni *Austriae* rursus angulum dextrum superiorem tenente. Fol. sequens speciosissima litera F occupatur addita tamen in limbo continuatione: *Uit in diebus herodis regis iudee*. Igitur deest *Προλεγόμενον* illud ad Theophilum: *Quoniam quidem multi &c.* Capitum initia cum Editis conspirant. Fol. demum 148. p. 2. depinguntur Acta S. *Johannis*, Insignibus, ut in *Luca* dispositis, et Fol. sequens sola litera I superbit, pag. altera inchoante: *N principio erat uerbum &c.* In solo Capite XVII. divisionis differentia. Ad calcem lineis aureis et caeruleis alternantibus haec clausula: *Et ego Johannes de Oppauia, presbiter. Canonicus Brunnensis Plebanus in Lantskrona. hunc Librum. Cum auro purissimo de penna. Scripsi. Illuminaui. Atque deo cooperante compieui. In anno domini. Millesimo. Trecentesimo. Sexagesimo. VIII<sup>o</sup>.* En Canonicum *χαλκεντερον και αδαμαντινον*, qui sacrae, quaungebatur, animarum curae laborem ejusmodi adjunxit, qui solus videri queat, integrum hominis aevum deposcere. Adjecta est

Icon *Christi* judicis insidentis iridi, adstante infra Matre et Nutritio. Ut porro aliquod lectionis specimen proferam, *Joh. c. I.* habetur: *quem dixi vobis, pro quem dixi; Per ihesum facta est, pro per Jesum Christum; nisi unigenitus filius, pro unigenitus filius; Peccata mundi, pro peccatum; Manifestaretur in Israel, pro manifestetur; Filius iobanna, pro Jona; unde Textum satis castigatum esse liquet. Seculo sequente Codex ad Fridericum III. Imp. devenit. Video enim fol. 1. p. 2. ejus Symbolum A. E. I. O. V. cum anno 1444. Atque is pro merito theca eum decumana argento inaurato squalenti biennio post vestivit, nam in ejus anfulis et Symbolum mox dictum, et annus 1446. insculptus cernitur.*

LIII. VIII E. 2.  
VII

Codex membraneus lat. Sec. 351  
XIII. Folior. 56. f. columna angusta, ut margines. Notis patere, pereleganter scriptus, literisque initiorum picturatis venustus exhibet *Evangelium D. Marci*, Glossis marginum instructum et interlinearibus, unde et linearum luculenta distantia. Praeit *Marci* Vita in *Bibliis glossat. Lugd. T. V. fol. 88: 1545.* tributa *Hieronymo*, quae incipit: *Marcus euangelista dei et petri in baptismo filius*, et non uno loco correctior est editis. Textus ipse hinc inde a Vulgato variat. Ita C. I. legitur *omnis regio galileæ pro omnis Judaeae regio. Veniet fortior pro venit.*